

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0269

0267

0273

0263

0278

0258

0318

0218

0368

0168

0768

Ende

Anfang

257

pugnaturi, sed ad quendam fluvium venientes erupit contra legiones ingens bestia, serpens crudelissimus, quae multos occidit, et in tantum per unicam bestiam fuerunt infestati, ut totius belli apparatus contra eam cogerentur dirigere. Multis ergo pereuntibus tandem victa fuit bestia et lapidibus prostrata, cuius corium LXX pedes fuit, quod Romam ductum cunctis admirationem intulit et terrorem. Igitur cum magnificus vir Gothfridus cum suis copiis usque ad Constantinopolim devenisset, caetera agmina ibi exspectare decrevit, quia iam in finibus infidelium Turcorum erant nec ingressi Hellespontum procedere valebant nisi manu armata per terras Turcorum. Cum ergo legiones convenissent, factus est unus Dei viventis exercitus et recensito legionum numero inventi sunt peditum sexcenta millia, equitum vero loricatorum centum millia. Multi tamen continue sequebantur et se legionibus adjungebant. Hi ergo omnes Constantinopolim relinquentes navibus ascensis Hellespontum, hoc est, sancti Georii brachium, transierunt de Thracia in Bithyniam. Est enim Hellespontus strictum brachium a canali, per quod mare mediterraneum decurrit contra aquilonem in Pontum Euxinum. Itaque hoc negotium habens potest uno die tribus aut quatuor vicibus de Thracia in Bithyniam, de Constantinopoli in Chalcedoniam et e contra venire. Cum autem in Bithyniam Asiae minoris provinciam venissent, relictis omnibus villis et oppidis ad Nicaeam urbem populosissimam descenderunt, quam obsidentes obsederunt **(271 A)** eam atque ceperunt anno Domini 1097. die 20. Junii. Evasit autem magister eorum, Solymannus Turcus, dominus Nicaeae, cum multis aliis, qui currentes per provinciam collegerunt exercitum contra nostros. Ordinata autem Nicaea movit se exercitus de loco et de Bithynia in Pamphiliam descenderunt cum multis laboribus, et ibi occurrit eis obviam Solymannus cum ingenti paganorum exercitu, et coēentes Deo propitio nostri paganos fugaverunt et tria millia electorum armatorum prostraverunt, de nostris autem ex quasi inermi populo ceciderunt ad sex millia. Deinde ex provincia Pamphiliae in regionem Ciliciae descenderunt, Tarsum Ciliciae civitatem vetustissimam et nobilissimam fugatis hostibus ceperunt cum aliis civitatibus ejusdem regionis. De quo vide Part. II. fol.

17

